



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Brevitas temporis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

difficillimæ applicationis est ejusmodi occupatio, unde recreationis etiam causa ab honestis fœminis excipi solet; Certe, Filiucius modò n. 14. citatus, excusavit opus distillandi aliquid simplex, vel mixtum, in quod exigua corporis fatigatio impenditur: at exigua etiam impenditur in tritico, per otium emundando. Pari modo ibid. excusavit opus à mortali, cum, qui molâ bene intrudat præfider in pistrino; quia hæc modica apparet applicatio &c. Sed hæc dubitandi causâ sunt dumtaxat dicta.

§. II. De Causis excusantibus in operando in diebus festis.

Brevitas temporis.

1. Per duas horas vacare servilibus non esse mortale, est jam nostra ætate recepta sententia. Ita Diana p. 2. r. 15. ref. 36. & p. 5. r. 5. ref. 3. quia modicum tempus judicatur duarum horarum spatium, comparatione viginti quatuor horarum. Apud Marchantium q. 1. c. 3. 4. 2. apud Dian. citat. aliquis de etiam horas quatuor: Ipse requirit tres ad mortale. Sed his, saltem ob communem sensum Fidelium in contrarium, assentiri non debeo.

2. Notat hic Sanchez lib. 1. in Dec. c. 4. n. 12. Bonac. mox citandus num. 3. non esse mortale, singulis festis per duas operari horas, quamvis animo fixum teneas id toto anno efficere velle, & de facto efficias. Ratio est, quia unus dies festus non adnectitur cum alio, ad hujus materiæ gravitatem efformandam. Non ab simili modo advertit Bonacina diff. 5. de 3. Dec. præc. q. un. p. 3. num. 4. Pellizz. r. 5. man. Reg. c. 4. sect. 1. n. 8. aliique, Dominum injungentem laborem duarum horarum, viginti, v.g. famulis simili, non peccaturum mortaliter; quia unius opus nequaquam unitur cum opere alterius: idemque erit, ex Portella in dub. reg. v. Laborare, in additione, si singuli successivè per modicam horam in eodem die laborent, etiam si uno post alterum laborante, totus dies occurrat, quia pari modo minus opus cum alio non connectitur. Contrà, peccabitur mortaliter, si idem in eodem festo, diversis vicibus interpolatis, modicè quidem laboret, sed ita, ut unum ascendatur ad tempus notabile. Ita Sanch. in Dec. lib. 1. c. 4. n. 8. Portella in dub. Reg. v. Festi dies, n. 2. in addit. quia, une diversa illa parva intervalla violata in eodem die constant unam notabilem violationem: sicut, si quis eodem die jejuni per diversa intervalla singulis vicibus modicè comederet; jejunium violaret, quando illa modica unita notabilem facerent comestionem.

Divinus cultus.

3. Opera servilia immediatè, vel propinquè divino cultui servientia, ut crucem deferre, organa, campasque pulsare, &c. exerceri in festo possunt. Ita Suar. Fag. Bon. Azor, aliique apud Castr. Pal. tom. 2. d. 2. de observatione festi d. nica, p. 20. num. 1. quia ex tanta propinquitate cum divino cultu, sufficientem concipiunt liberalitatem: & sanè præceptum hoc, quo divinis cultus attenditur, non debuit ea, quæ proxime ad ipsum cultum faciunt, prohibere. Altaria ornamentis vestire, templum vertere, parietes Ecclesiæ auleis adornare, conficere Hostias &c. etiam quando potuissent die non festivo, probabile est culpam non esse mortalem, si die festo fiant; idque propter aliquam cum rebus Sacris propinquitatem. Ita Toller. lib. 4. cap. 25. Suar. tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 2. cap. 22. num. 11. At arare, ligna cadere, lapides ferre, etiam ad Ecclesiam edificandam, &c. nequaquam licet, prætextu, quòd hæc fiant pro Ecclesiâ; ex Castr. Pal. loc. cit. num. 1. sine Bonac. apud Dianam p. 3. tract. 3. ref. 8. remotè enim cultum divinum respiciunt, & consequenter non judicantur sanctimoniam, liberalitatemque sufficientem participare, secus omnes Rustici, omnesque famuli servientes Ecclesiis, non tenerentur servare festa; quod est inauditum, contra Sà in editione gen. v. Festum. n. 14. ubi sic excusantur laborantes pro loco pio, aut publico, in expurgata hoc expulsum fuit.

Quid hæc in re fieri ob paupertatem Ecclesiæ liceat, mox dicam à num. 14.

4. Fagundes p. Eccl. præcepto, lib. 1. cap. 14. num. 4. Pellizz. in man. Reg. tract. 8. cap. 4. num. 20. docent præparatas vias ad processiones licere sine mortali; sed esse tantum veniale, si pridie parari possint; at tabulata ad eandem processionem, v.g. videbam, licet, si pridie confecta propter oblivionem, vel propter alia legitima impedimenta non potuerint, licet die festo construantur; quia ita concedit & hic nunc cultus divinus: tamen ex se peccatum mortale esse, scienter diffuso, in diem festum, quia de se talis actio, servilis omnino est, & multum à sacra distans, & remotus; non sic viam parare, id enim est magis conjunctum cum divino cultu, quàm dicta Tabulata compingere.

5. Ex qua doctrina infero. Sepulchra Christi Domini pro hebdomada Sancta, & præsepia ejusdem pro diebus factis Natalis, & moles artificiosas ad exponendam in iis Divinam Eucharistiam, & Cœnam ad representationem sacram, licet collocari in Ecclesiis, saltem sine mortali posse die festo; etiam cum veniali, si potuissent antea: non posse eadem fabricari, vel arcus triumphales erigi; vel Pyras igneas, & similia construi. Ratio est, quia illa æquiparantur præparationi viarum, cum habeant aliquam propinquitatem ad res sacras: hæc similia sunt tabulari, quæ satis remotè ad res sacras referuntur; sepper intellige, præcisa necessitate, quæ facillimè tum in tabulatis, tum in his inveniri potest, quando nimirum, ut modò dixi, non potuerint die non festivo illa fieri, vel certè bona fide prævisum id antea non fuit, vel tandem adfuit dispensatio, de qua mox suo loco.

Diximus n. 3. de ornandis Templis, sed quid de iisdem ab ornatu spoliandis? & hoc abstrahendo ab alia necessitate, ut esset notabilis obligatio statim reddendi ornamenta, carentia eorum, qui possent id efficere die sequenti non festivo, &c.

Puto, in hoc casu non posse duci excusationem à cultu sacro, sicut diximus in casu, quo idem Templum ornatur. Ratio est, quia ornare ad sacrum cultum aliquo tantum modo propinquè pertinet, ut ibidem vidimus. At ornatum auferre, non ita, cum potius id dirigatur ad ornatum asservandum, quòd sacrum quid non est.

Necessitas corporalis.

6. Quia præceptum, de quo agimus, non est interpretandum rigorosè, sed benignè, & moraliter, ut ex ipso Fidelissimè colligimus; ideo quælibet non modica, sed nec necessitatio maxima necessitas, excusabit à culpa eorum, qui die festivo opera servilia peregerint.

Excusat ergo necessitas corporalis propria, vel proximi, vel Reipublicæ: Hinc pauperi ad se, suosque alendos conceditur (audita Missa, & sine scandalo, quòd in sequentibus etiam semper intelligitur). arti servili cuique vacare: immò tanta potest urgere necessitas, ut is possit etiam Missam relinquere. Hinc licet cibos sibi coquere, panemque necessarium conficere, ac fructus ad quotidianum usum colligere. Dico (sibi necessarium ad quotidianum usum) nam præstendendo ab his, quid sit sentiendum, mox n. 9. asseram. Hinc ferere, arare, vindemiam facere, metere, messem colligere, quando est probabile periculum pluvie, vel alterius impedimenti, omnino licet. Hinc Sartori, vel cuique licet vestes suæ, quando bona fide absolvi diebus feriatis non possunt, & eas ad usum expectant, qui suendas dederunt. Hinc Chirurgus, vel Pharmacopola, vel quilibet potest medicamenta componere, vel aliud facere; si tunc infirmus iis indigeat, nec commodè, prudentis iudicio, compositio, vel alia quæpiam res transferri, aut præteriri potest. Sit autem ex Suarez tom. 1. de Rel. tract. 2. lib. 2. de diebus festis, cap. 32. num. 6. hoc iudicium benignius, si agatur de salute proximi, quàm si de tua, quia in tua est periculum amoris proprii; in aliena, facilius à charitate dirigeris: Hinc in solemnitatibus etiam sacculis